

THEMA.

Hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me. Joann. XVI.

Inter alia vestium ornamenta duo imprimis habuit summus sacerdos in lege veteri, videlicet laminam auream in tiara, cui inscriptum erat *Sanctus Domino*, et rationale in pectora, cui inscriptum erat *urim et thummim*, id est, *doctrina et veritas*, uti legimus, Exod. XXVIII. Quod in ea lege gestum est, ad Christianorum etiam instructionem pertinet. Hi ergo cum sint gens sancta et regale sacerdotium, sanctitatem in capite, veritatem in pectore gerere debent, hoc est, sanctos viros colere et summo loco habere, veritatem ex corde amare. Hoc vero non fecisse Judæos tempore Christi et apostolorum deprehendo ex hodierno evangelio, ubi audimus Spiritum veritatis missum ad apostolos, et hos cum illo ad Judæos, qui tamen et veritatem ab iis prædicatam audire noluerunt et ipsos e synagogis suis ejecerunt. Mirum hoc, auditores. Quis enim non colat sanctos et justos viros? Quis non amet veritatem, quam alioquin omnes quærimus? Causas nunc indagabimus.

Male ut plurimum excepti sunt justus in hoc mundo: Abel a Caino, Jacob ab Esau, Joseph a fratribus, Hebræi ad Egyptiis, David a Saule, apostoli a Judæis et gentilibus; et usque in hodiernum diem male habitant inter malos boni.

I. Quia in moribus eis dissimiles sunt. Ut enim aqua in ignem pugnat ob contrarias igni qualitates, ita reprobi in bonos. Hi velut ignis lucent ardentque zelo charitatis et ad cælum tendunt maximo conatu: illi contra frigent et in terram defluunt, ibique lutum fiunt, alios commaculant, et sæpe labi faciunt. Non minor est interni animi vultus atque externi disparitas, nec in illo minus Deus mirabilis, quam in istos.

Quare sicut similitudo faciei amorem, dissimilitudo odium parit, ita dissimilitudo animorum atque morum. Tacitus, lib. XVI. annal. narrat, quod cum Nero imp. scelestus et efferratus Thræseæ senatoris optimi venerabilem ferre speciem non posset, de medio eum sustulerit. Sic mali ægris oculis intuentur bonos; quemadmodum Sam Davidem, utopte malus bonum: *Non recte intuebatur oculis*, 1. Reg. XVIII. Est enim vita bonorum tacita quædam reprehensio vitæ malorum. «Memoriæ proditum est, inquit Hector Pintus, in Ezech. c. XXXII. pictorem quemdam, qui male pinxerat gallos gallinaceos, jussisse famulo, ut vero gallinaceos longe propelleret a tabula, ne facta comparatione, ejus deprehenderetur ignavia: sic qui specie honestatis flagitia cooperit, qui virtutis imaginem male depingit, viros virtutibus insignes

procul abigere conatur, ne ex illorum collatione ejus fictæ virtutes aperte cognoscantur.» Hæc morum contrarietas videtur fovisse odium Esau contra Jacob; erat enim ille moribus asperis, hic vero blandis quemadmodum is corpore hirsuto, hic leni seu glabro. Accedit ad hoc diversum utrorumque studium. Quæ enim mundani magni æstimant, ea pii nihili faciunt; quæ illi ædificant, hi destruunt; quæ illi rapiunt, hi pauperibus elargiuntur. Prodit ex hoc capite odium Egyptiorum in Hebræos. Egyptii enim Apin seu bovem, oves aliaque animalia colebant quasi divinum aliquid, quæ tamen Hebræi ridebant, mactabant, sacrificabant, edebant. Hanc causam afferunt impii illud Sap. II. dicentes: *Gravis est nobis (justus) etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius: et immutata sunt vitæ ejus. Tanquam nugaces æstimati sumus ad illo.* Sint duo in eodem studio optimi socii: convertatur alter et fiat religiosus, maneat alter in sæculo et priori vitæ licentia; statim videbis illum ad noc odio haberi.

Secundo, quia a bonis reprehenduntur vel reprehendi metuunt. Cupiunt enim boni mederi mundi sceleribus, ideo mundus odit eos. Ad hoc significandum putat S. Augustinus, serm. LXXVIII. de tempore collisos fuisse in utero Rebecæ geminos: «Boni enim, inquit, lucrari volunt malos: mali vero extinguere cupiunt bonos. Bonorum desiderium est, ut qui mali sunt corrigantur: malorum studium est, ut qui boni sunt consumantur.» Hanc ob causam Joseph odio erat fratribus, quia accusavit eos apud patrem de crimine pessimo, Gen. XXXVII. Ob eandem quoque Hebræi lapidare volebant Josuen et Calebun, qui impiis eorum conatibus resistebant, Num. XIV. Et quam aliam ob causam hæretici hujus temporis adeo infensi sunt patribus societatis Jesu, nisi quia isti impiis illorum conatibus et dogmatibus strenue resistunt? Hinc videntur dicere id Sap. II. *Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis, et improperat nobis peccata discipulæ nostræ.*

Tertio, quia boni in mundo peregrini, et quodammodo extra mundum sunt, canes non allatrant domesticos, sed peregrinos. Indicat hoc Dominus cum ait: *Ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus*, Joan. XV. Vident mali bonos separasse se ab eorum consortio illudque assidue fugere. Unde eos quasi sui cætus apostatas oderunt. Dicunt ergo id Sapient. II. *Abstinet se (justus) a viis nostris tanquam ab immunditiis et præfert novissima justorum et gloriatur patrem se habere Deum.*

Quarto, ob invidiam, advertunt enim reprobi bene dixisse Deus bonis, ut assurgerent ad virtutem, ideoque eos ab omnibus suspici et coli

THEMA.

Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini, Joan. XVI.

Qui mare aut flumen scopulis et syrtibus plenum navigare debet, solet ab amico, si quem habet, viæ, gnaro sedulo admoneri ut hoc vel illo loco vitet latentes illic scopulos. Quam fidam monitionem, si negligeret navigaturus, facile in extrema vitæ pericula deveniret. Hunc in modum Deus monuit per Moysen Hebræorum populum, ut ingrediens in terram promissionis, non iniret fœdera neque matrimonia cum residuis gentibus, sed deleteret illas, aras quoque earum subverteret, et statuas confringeret, lucos succenderet, et sculptilia combureret, nec concupisceret argentum et aurum, de quibus facta sunt, neque assumeret ex eis quidquam, ne in eis graviter offenderet, uti legimus, Deut. VII. Ad eundem modum præmonet etiam Christus in hodierno evangelio suos discipulos mittendos in universum orbem, ut ne offenderentur, adeoque Deum offenderent, si viderent se odio esse hominibus, ejici de synagogis et civitatibus, et adeo exosos esse, ut qui interficit illos, obsequium se præstare Deo putet. Quibus etiam verbis communis noster magister absque dubio nos omnes monet ut inter scopulos et syrtes scandalorum hujus mundi, quibus ipse plenus est, caute navigemus. Ipse enim ait Marei XIII. *Quod vobis dico, omnibus dico: Vigilate.* Detegamus igitur hos scopulos et vitemus.

I. Scandalizantur hæretici, vel potius seipso scandalizant in mala catholicorum vita, sed temere et stulte. Etenim cogitare deberent. Primo, in quovis hominum cœtu esse aliquos malos, perinde non valere argumentum a moribus ad fidem, nisi mores illi ex tali fide juxta leges et dogmata ejus proveniant: sicuti non arguitur resp. quod in ea sint fures, latrones, adulteri, etc. sed quod furta, latrocinia et adulteria eorum leges approbent vel tolerent, nec debitis pœnis plectant. Si enim improbent et puniant, laudem meretur, non vituperium. Neque scandalizatur quisquam, si videat in aliqua civitate crebro suspendit fures, et occidi reos alios; sed potius emendatur. Jam vero mali catholicorum mores, non proveniunt ex fide catholica; quia juxta ejus leges et dogmata nec probantur, nec tolerantur, sed pro merito taxantur et castigantur. Quod si in uno vel altero loco hoc fortasse non fit a quibusdam prælatis et magistratibus: hoc ipsum est, quod catholica fides improbat et taxat, ac cum potest, punit. Itaque sicut nemo reprehendere magistratum potest, aut in illo scandalizari, si magistratus quidem justam mensuram ac pondus civibus mercatoribus et cauponibus præ-

prius scandalum sustulit, ut est in breviario Rom. 26. apr. et Platina de vitis pontif.

Tertio, Barlaam martyr, cujus dextræ quasi altari prunas ignis et thus imposuerant gentiles, ut ignis vi prunas excutiens, thus in altare quasi sacrificans excuteret. Sed is eam potius comburi passus est, quam ut ignem excutiens videretur sacrificasse, ne suo exemplo alios scandalizaret. Refert S. Basilius, apud Baron. anno 304.

Quarto, sanctimonialis quædam apud Joan. Moschum, in prato spir. cap. XCVI. quæ cum ob elegantem formam insidias diu multumque pateretur a juvene, tandem ab eo quæsivit, quidnam illud esset, quo in sui amorem adeo raperetur, respondit ipse: *Oculi tui.* Quare illa effudit sibi oculos et juveni transmisit. Territus hoc spectaculo juvenis, vitam in melius commutavit, monachumque induit. Fecit ista plus, quam petierit Dominus, cum jussit oculum te eruere, qui te scandalizat: ista eruit oculum suum qui alium scandalizabat.

Quinto, S. Bernardus moriens, dixit ad suos, tria se in omni vita potissimum observasse. Primum, ut plus semper aliorum sensui crederet, quam suo: secundum, ut læsus non se vindicaret: tertium, ut ne scandalizaret quemquam. Ergo auditores quando intelligimus talem belluam esse scandalum, ut omnium baculis impetatur, et ab omnibus damnatur, adhibeamus etiam manum nostram et pestiferam hanc feram exterminemus non solum e domibus, verum etiam e cordibus nostris, nec tam noxio vitio aditum præbeamus. Sane D. Gregorius, l. II. dial. c. VIII. scribit de Florentio presbytero, qui invidens felicibus ordinis S. Benedicti auspiciis septem puellas nudas manibus consertis, choreas agentes in hortum monasterio ejus vicinum immisit, ut monachorum mentes ad perversitatem libidinis inflammarent. At Benedictus non ignarus id propter se factum, cum paucis fratribus locum deseruit. Quod ubi Florentius stans in solario cognovit, vehementer exultavit; sed confestim solarium casu suo hominem obrivit. Recidit ergo scandalum, quod posuit iste coram viris religiosis, in ipsius caput: lapis offensionis, quem statuit in aliorum offendiculum, auctorem ipsum contrivit. Ergo nisi a lapide molari demergi in profundum inferni velimus, lapidem offensionis alteri ne ponamus.

CONCIO IV.

MOTIVA NE SCANDALIZEMUR IN PECCATIS QUORUMCUMQUE

- I. Hæretici scandalizantur in mala vita catholicorum.
- II. Alii in mala clericorum vita. — III. Alii in peccatis proximorum.

thorius ordinis S. Benedicti, in moral. bibl. l. XI. cap. XIX. refert hujusmodi seu historiam seu fabellam in hæc verba: «Ferunt duo idola in eodem templo reposita fuisse, quæ responsa dabant iis, qui in templo perdidissent aliquid rerum illuc depositarum. Ergo juvenis quidam thesaurum ex illo templo furatus est: quæritur reus ex idolo uno, et denuntiatur: sed is ob veritatem proditam confringit idolo caput. Postea nescio quis alius ibidem aliquid perdidit: quæritur ergo auctor furti ab altero idolo, sed nullum id responsum dat, nec furem indicat. Tandem post multas oblationes hoc respondet: *Tempora mala sunt et homines deteriores fiunt, sed et si quis loquatur verum, caput ei frangitur.* Ut fabula hæc sit, veritatem tamen loquitur; quam veritas odiosa sit.

Secundo, veritas inerepat et redarguit delinquentes, dum ostendit eos sibi, quales sunt. Ferunt fabulæ, duos comites, Veridicum et Falsidicum, varias peragrassæ regiones. Cumque in unam aliquam devenissent, in qua simiæ dominabantur, viderunt unam insigniorem in throno sedentem, stipatam aliis simiis: a qua cum interrogaretur Veridicus, quid de ipsarum dominatu et regimine sentiret, respondit: *Vide-mini mihi quotquot estis, omnes esse simiæ.* Hoc auditio simiæ omnes in eum irruerunt, et dentibus ac unguibus eum misere lacerarunt. Interrogatus postea Falsidicus, quid ipse de hoc sentiret, respondit, eorum principatum splendidum et mirabilem esse. Quare a simiis magno in honore est habitus. Quoniam igitur veritas simpliciter et rustice, ut sic dicam, asserit id, quod res est, hinc ingratus hospes est. Contra quia falsitas novit se accommodare sensui eujusque, inde grata et accepta est. Scabiosus equus blanda fricatione gaudet, strigilem non admittit. Sunt porro etiam multi, sicut vulgus, eum sacerdos vult aspergere homines aqua benedicta; omnes enim accurrunt et aspergi volunt. At vero ubi advertunt eum aspergillo profundius intincto copiosam nimis spargere; tunc avertunt vultum et discedunt. Ita enim siquidem concionatorem audiunt veritatis spicula contra aliquos intorquere; omnes ei applaudunt et aures dare gestiunt. At vero ubi vident eum nimis vera et sincera loqui, et in se quoque aliqua dicere, tum avertunt animum, nec aures ei amplius præbent. Contigit hoc apostolo, qui ad Galatas, c. IV. ait: *Sicut angelum Dei excepistis me, sicut Christum Jesum. Ubi est ergo beatitudo vestra?* (Græcæ, *beatificatio vestra*, qua scilicet me ac vos propter me beatos prædicabitis, v. g. o nos felices, qui talem habemus apostolum! ut ibi Theoph.) *Testimonium enim perhibebo vobis, quia, si fieri posset, oculos vestros*

eruissetis et dedissetis mihi; ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis.

Tertio, veritas in hoc mundo peregrina est, ideo non recipitur, nec curatur. Ita enim Tertullianus, in apologet. cap. 1. de veritate evangelica, ait: *Scit veritas se peregrinam in terris agere; inter extraneos facile inimicos invenire: cæterum genus, sedem, spem, gratiam, dignitatem in cælis habere.* Ita veritas, quam prædicabat Christus, peregrina erat in auribus Judæorum et Pharisæorum: veritas, quam apostoli, in auribus gentilium. Venit enim veritas simplici in habitu; falsitas vero fuco adornata. Hinc falsum existimatur verum, et verum falsum: malum bonum, et bonum malum. Expectabant Judæi Christum splendido ornatu. Venit is in forma vili et paupere; ideo non est agnitus ab eis. Idem accidit veritati, quam secum in terram attulit.

Quarto, veritas invicta est, invidiæ subjecta et exosa: *Super omnia vincit veritas*, ait quidam in l. III. Esdr. cap. III. (qui non quidem canonicus, magnæ tamen auctoritatis liber est sciens igitur mendacium potentiam veritatis, opprimere eam conatur. Ita fratres Josephi, audientes ejus somnia, quibus se eorum principem futurum insinuabat, ad se invicem dicebant: *Ecce somnator venit. Venite occidamus eum, etc. et tunc apparebit, quid prosint illi somnia sua.* Gen. XXXVII. Similiter Judæi, cum audissent a custodibus Christum resuscitatum, ut veritatem sibi molestissimam opprimerent, dederunt eis pecunias, ut dicerent furto sublatum a discipulis. Matth. XXVIII. at vero Spiritus veritatis per apostolorum testimonia mendacium hoc oppressit. Bene ergo quidam aquid Gellium, l. XII. c. XI. veritatem dixit esse temporis filiam, quia verum, quod diu latuit, procedente tempore apparet; et certe apparebit in extremo saltem tempore et die judicii.

Quare, auditores, fit hoc monile et ornamentum pectoris nostrum *veritas*. Nam ut ait Sanctus Augustinus, epist. IX. *Incomparabiliter pulchrior est veritas Christianorum, quam Helena Græcorum. Pro ista enim fortius martyres nostri adversus hanc Sodomiam, quam pro illa mille heroes adversus Trojam dimicaverunt.*

CONCIO VI.

ARGUMENTUM FIDEI CHRISTIANÆ ET TESTIMONIA.

- I. Auctoritas tot populorum et consensus patrum.
- II. Martyrum constantia.
- III. Examinatio fidei multis modis facta.
- IV. Morum et animorum mutatio.
- V. Miracula.
- VI. Impletio prophetiarum.
- VII. Testimonium infidelium.
- VIII. Clades aliarum sectarum.

THEMA.

Cum venerit Paraclitus, etc. ille testimonium perhibebit de me. Joann. XV.

Non unum solummodo testimonium, sed complura reddit Spiritus sanctus Christo ejusque fidei, quod ea cœlestis et divina, adeoque vera et infallibilis sit. Ex illis vero nos separabimus potiora, et quæ maxime convincunt, de quibus dicere possimus illud Psalm. XCLII. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Igitur audiamus.

I. Testimonium Spiritus sancti primum, est auctoritas tot populorum et consensus patrum ex omni natione doctissimorum, et sanctissimorum, qui post apostolos omnibus sæculis coluerunt hanc religionem et defenderunt contra gentiles, Judæos et hæreticos efficacissime et constantissime. Quanti enim viri fuerunt apostoli ab ipso Spiritu sancto edocti? Quanti viri eorum discipuli; Clemens, Ignatius, Polycarpus, Dionysius Areopagita, qui post apostolos in scriptis suis fidem nostram tradunt? Quanti qui secundo vixere sæculo; Justinus et Irenæus martyres? Quantus Tertullianus et Origenes, tametsi hi ad extremum in hæresim exciderunt? Quanti viri tertii sæculi: Gregorius Thaumaturgus, Cyprianus martyr, Lactantius, Firmianus, etc.? Quanti in quarto sæculo: S. Antonius, Athanasius, Cyrillus, Ephrem, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Ambrosius, Hieronymus. In quinto: Augustinus, Joannes Chrysostomus, Maximus, Paulinus? Quanti per sequentia sæcula: S. Leo, S. Gregorius, M. S. Bernardus, S. Thomas Aquinas, S. Bonaventura aliique innumeri? Quanti viri in Conciliis passim habitis, ubi flos omnium ingeniorum, omnis sanctitatis hujusmodi fuit congregatus? Omnes illi christiana dogmata a se exactissime discussa et ventilata ab hæreticis, acerrime propugnarunt. Omnes illi mysterium sanctissimæ Trinitatis, veritatem corporis Christi in eucharistia, ineffabile mysterium incarnationis et passionis Filii Dei verissimum esse comprobarunt; in quibus tantum abest ut aliquid indignum summa illa invenerint majestate, ut etiam confessi sint hæc opera Deo esse gloriosissima. Jam ergo quis dubitare ausit de veritate fidei christianæ, quæ tantis viris semper probata fuit? Annon stolidus haberetur ille cæcus, qui dicentibus sibi plurimis hominibus nunc diem esse, solem supra nos lucere, de nocte cœlum stellis radiare, etc. qui id vel nollet credere vel in dubium revocaret? Unde S. Augustinus, l. de utilitate recedendi, c. IV. ait: *Tenet me in Ecclesia consensus populorum atque gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata, etc.* Quanto magis nos tenere hæc auc-

toritas debet, qui post Augustinum tot alios habuimus sanctos patres? Quid vero? Num tu melius rem intelligas, quam vel Augustinus, vel Hieronymus et similes? Quis non malit sentire cum tot sanctissimis et omni scientia eruditissimis patribus, quam cum Judæorum fabulis? Cum gentilium inani philosophia? Cum pauculis hæresiarchis? Cum proprio sensu et ingenio?

II. Martyrum constantia omnis generis, sexus, ætatis, qui pro Christi fide indubitanter martyrium subierunt, ~~non~~ ^{tantas} et cum aliqua ambitione. Sic Agatha: *Gloriosius tota ac carcerem quasi ad epulas invitata, et in pœnis dicebat: Ego ita delector in his, sicut qui audit bonum nuntium, vel videt amicum diu desideratum.* S. Ignatius esuriebat quasi bestias et in sese concitabat, ut ab iis devoraretur. Tiburtius super prunas ambulans dicebat sibi eas videri instar rosarum esse. Vincentius in tormentis insultabat Daciano dicens: *Infelix has epulas semper optavi, et vobis omnibus expetivi.* Euphemia cum sororem videret verberibus cædi, dicebat se ignominia affici, quod non similiter cæderetur. Socii Sancti Martii pie inter se contendebant pro martyrio. Nec solum lætanter, sed etiam diutissime sæpe perpassi sunt tormenta, carceres, exilia et exquisitissima quæque supplicia, nec eorum atrocitate et diuturnitate vinci potuerunt, nisi aliqui pauci qui resipuerunt. Tertio, tantus est numerus martyrum, ut vix libris comprehendi queat. S. enim Hieronymus in quadam epistola scribit non esse diem per annum (exceptis calendis januarii, in quibus gentiles religione aliqua ducti sanguinem non effundebant) in quo non posset numerus quinque millium et ultra adscribi martyrum. Quarto, martyria illorum sæpissime Deus glorificavit innumeris miraculis. Sæpe enim cicuravit feras, aliquando extinxit flammam, eorum curavit vulnera, tenebrosos illuminavit carceres, dissolvit eorum vincula, manibus angelorum eos pavit, a demersione servavit licet ponderibus alligatos, corpora occisorum a bestiis custodivit, redintegravit, honorifice sepelivit, miraculis clarificavit, etc. Vidimus, ait Justinian. imperat. in constit. a se edita de officio præfect. præf. *Africæ venerabiles viros, qui abscissis radicibus linguæ, penas suas miserabiles loquebantur.* Quinto, obtulere se neci non tantum decrepiti et viri, sed etiam juvenes et juvenulæ, pueri et puellæ: ad hæc plurimi pontifices, et multi de maxima prosapia. Denique, a tot tyrannis vinci non potuerunt, neque ulla ratione exterminari, licet illi ad hoc obtinendum omnes nervos intenderent: contra potius Christiani, quanto magis mactabantur, tanto magis augebantur. Jam ergo sic ratiocinemur. Primo, quando tantus est martyrum numerus, quomodo Deus permisisset tot homines

innocentes et sanctos, qui ei serviebant, in cultu suo ita misere errare, ut propterea mortem contemnerent? Quomodo concessisset, ut tot boni tam turpiter deciperentur, et tam misere perirent? Hoc argumento fatetur S. Justinus martyr, in apoc. 1. ad sen. Rom. se maxime fuisse permotum ad fidem fortiter tenendam. Secundo, quomodo fieri potuisset, ut tot viri præcipui, tot juvenes et tenellæ virgines, tam atrocia tormenta et crudelissimam mortem non modo non metuerent, sed cum ambitione quærerent, cum gaudio sustinerent, cum maxima gloria et hominum admiratione vincerent, nisi Deus illos modis occultis corroborasset, et consolationibus sustentasset? Tertio, quomodo tot mira circa eorum martyria contigissent? Quarto, quomodo vinci tandem a tot tyrannis non potuissent, nisi digitus Dei fuisset hic? Fuere quidem et hæretici qui hæresim suam morte obfirmarunt. Sed quam pauci illi? Quam viles? Quam sine miraculis? Quam sine vitæ sanctitate? Combusti sunt in perfidia sua Joan. Huss, et Hieronymus Pragensis. Sed numerent Hussitæ plures: proferant aliquod eorum miraculum, vel vitæ sanctitatem. Nos autem scimus eos a Concilio eruditissimorum et christianorum patrum universali, communi consensu ob hæreseos pertinaciam condemnatos. Habuere gentiles Mutium Scævolum et paucos alios, qui pro vana gloria se morti et tormentis exposuerunt; sed quid hoc?

III. Examinatio fidei, per tot modos facta. Cum apostolus Paulus, Act. ult. disseret Romæ cum Judæis de fide, responderunt illi: *Rogamus a te audire quæ sentis: nam de secta hac notum est nobis, quia ubique ei contradicitur.* Contradixere Judæi ab initio usque in hodiernum diem: contradixere imperatores et orbis pene totus per annos primos trecentos, quibus Christiani per tyrannorum metum sub terra convenere, et vixere velut talpæ, uti ostendunt Romæ adhuc vestigia et meatus subterranei: contradixere plurimi hæresiarchæ et eorum sectæ, propter quas plurima sunt habita Concilia, in quibus Christianorum catholicorum dogmata, cum hæreticorum dogmatibus in balancem posita, et accuratissime sunt examinata a floribus ingeniorum et sanctitatis totius mundi. Et en miraculum! Perit Judaismus, ejusque sectatores miserrime dispersi sunt, sine sacerdotio, sine sacrificio, sine rege et Deo viventes: perit gentilismus, ut ne statuam quidem aliquam idoli alicujus invenire possimus: periire veteres hæreses, ut vix aliqua supersit, quæ centum sit annorum. Vivit autem et floret christiana et catholica religio, in omnibus Conciliis et habitis controversiis semper approbata, semper victrix; ut merito de ea interpretari possimus id Psal. XI. *Eloquia Domini, eloquia casta: argen-*

tum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum. Stetit enim ante imperatores et reges et mundi sapientes innumeros, et immota stetit semper triumphavit. Quis autem eam causam justam esse dubitet, quæ in quam plurimis discussa academiis, et innumeris oppugnata adversariis, semper triumphavit, et justa declarata est? Multum quidem crevit non multis sæculis secta Mahumetana; sed non habuit illa adversarios, non habuit tyrannos, qui initio eam gladio resecaerent, non hæreticos, qui eam ventilarent: blanditiis primum usa est, postea vero armis, quo utroque medio paulatim incrementum sumpsit. Non ita christiana religio, quæ nulli unquam blandita est, nec ad placitum hominum se accommodavit; sed potius arguebat infideles, castigabat eorum mores, doctrinas carni displicentes indixit, etc. armis non indiguit, sed mortem appetendo occisores suos occidit.

Hussitarum secta ad primum examen Concilii Constant. statim rejecta fuit. Lutherus cum suis dogmatibus vocatus ad Concilium Tridentinum, comparere non est ausus, licet ei salvus conductus promitteretur. Sed timuit ille, inquit, perfidiam catholicorum, ne ab illis compureretur. Esto: cur non est ausus ponere animam suam pro doctrina et religione sua?

IV. Morum et animorum mutatio facta per fidei susceptionem mirifica. Difficillima enim res mutare hominum intellectum, præsertim erroribus imbutum, itemque voluntatem pravis præsertim eversam habitibus. Unde Isocrates duplam petebat mercedem a discipulo, qui prius alienum aliquid didicisset. Qualis autem vita hominum fuerit ante susceptam fidem, apostolus recenset ad Rom. 1. et inde facile colligi potest, quod ipsi aliam hominis sortem esse non putarint, quam nasci et mori. Ex hoc enim fundamento ingentia quæque vitia progigni necesse est. Inde naturam humanam in bestialem propemodum conversa est, ut vix discerni possit inter hominum et belluarum mores. Et quid effecit fides Christi? Ex belluis fecit homines, ex efferatis mansuetos, ex rudibus eruditos, ex pessimis optimos: uno verbo ex asinis homines, ex lupis oves, ex bobus oviculas, Deilaudes decantantes, ex diabolis angelos. Unde per Malachiam, c. III. *Et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die qua ego facio in peculium, etc. et videbitis quid sit inter justum et impium, et inter servientem Deo et non servientem ei:* et apostolus ad Ep. V. *Gratis aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino:* et S. Petr. 1. Pet. IV. *Sufficit præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam, his qui ambulaverunt in luxuriis, desideriis, vinolentiis, comessionibus, ebrietatibus et illicitis idolorum cultibus. In quo admirantur, non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ consu-*

etionem. Ecce quid effecerit fides. Hanc mutationem Dei dextera faciendam ostendit Dominus Petro, Act. X. quando coram eo dormiente demisit liquetum plenum quadrupedibus et serpentibus et similibus immundis animalibus, quæ Dominus ita purificaturus erat, ut gratissimus ipsi cibus fierent. Similiter Isa. XLI. prædixit hoc Dominus, cum ait: *Ponam desertum in stagna aquarum, et terram invicem in rivis aquarum. Dabo in solitudine cedrum et spinam et myrtum et lignum olivæ, etc.* Quod sane fecit, cum Egyptum et alias solitudines replevit monasteriis et sanctissimis eremitis; subdit causam: *Ut videantur et sciant et recogitent et intelligant pariter, quia manus Domini fecit hoc.* Cujus vaticinii veritas patet ad oculum ex historiis et sanctorum martyrologiis, ubi ingens numerus sanctorum martyrum, monachorum, virginum, qui carnem suam perdomuerunt, mundum contempserunt et deseruerunt, contrariam carnem et mundo viam sectati sunt, et constanter tenuerunt; quod æque mirum, ac si lapis sursum caderet. Annon stupenda pietas erga pauperes S. Ludovici regis Galliarum, S. Elisabethæ reginæ, continentia S. Eduardi et S. Henrici? Humilitas ejusdem Eduardi, S. Alexii, etc?

« Da mihi virum, inquit Lactantius, lib. III. instit. divin. cap. XXVI. qui sit iracundus, maledicus, effrænatus; paucissimis Dei verbis tam placidum, quam ovem reddam. Da cupidum, avarum, tenacem; jam tibi eum liberalem dabo et pecuniam suam plenis manibus largientem. Da timidum doloris ac mortis; jam cruce et igne et Phalaridis taurum contemnet. Da libidinosum adulterii ganeonem; jam sobrium, castum, continentem videbis. Da crudelem et sanguinis appetentem; jam in veram clementiam furor ille mutabitur. Da injustum, insipientem, peccatorem; continuo et æquus et prudens et innocens erit. » Et paulo infra: « Num quis hæc philosophorum aut unquam præstitit, aut præstare potest? Qui cum ætates suas in studio philosophiæ conterant, neque alium quemquam, neque seipsum (si natura paulum obstiterit) possunt facere meliores. Itaque sapientia eorum, ut plurimum efficiat, non excindit vitia, sed abcondit. Pauca vero Dei præcepta sic totum hominem immutant, et exposito veterem novum reddunt, ut non cognoscas eundem esse. » Sic ille. Quis autem non intelligit hanc mirificam mutationem non nisi a dextera Excelsi esse posse?

V. Miracula plurima a fidelibus, et quidem directe ad confirmationem fidei perpetrata. Imprimis anno Domini 471. duobus episcopis concurrentibus uno Ariano, altero catholico, catholicus Arianum provocat ad testimonium per ignem, ut videlicet ambo in eum se jactarent; sed recusat Arianus. catholicus vero ignem insi-

luit et ex eo cum Ariano disputavit, non tantum illæsus corpore, sed et ipsis vestibus. Refert Nicephorus, l. XV. c. XXIII. Simillimum exemplum scribit Gedrenus, apud Baron. anno Domini 506. Rursum anno Domini 583. catholicus quidam annulum ignitum de igne acceptum, in palma diu retinuit absque ulla læsione in fidei catholice testimonium adversus hæreticum. Refert Greg. Turon. de gloria confess. c. XIV. Rursum anno Domini 949. quidam clericus, Poppo nomine, ad jussionem Haraldi regis Daniæ adhuc gentilis, ignitum ferrum manu gestavit in testimonium fidei christianæ, sine ulla læsione: ita ut rex hoc miraculo conversus sit. Refert Saxo, l. X. hist. Dan. Witikindus, l. III. hist. Dan. Alibi etiam apud perfidam gentem tunica cerata indutus ignem ingressus est idem Poppo, et inde illæsus exiit, cum vestis tota in favillam redacta et combusta esset, Alb. Cranzius, l. III. met. c. XXXIV. S. Ephrem vestem suam jactavit in ignem ad probationem contra Styliten aliquem Severianæ hæreseos, et cum intra tres horas ligna omnia combusta essent, vestem tamen inde integram recepit. Refert Joan. Eviratus, in prato spirit. cap. XXXVI. Ad hæc certabant aliquando de fide catholici cum Albigenisibus hæreticis, ita ut pars utraque libellum suæ religionis dogmatibus conscriptum jactaret in ignem. Quo facto hæreticorum libellus mox combustus, catholicorum vero non modo illæsus fuit, sed etiam ab igne resiliit, licet iterum et tertio in eum jactatus. Refert D. Anton. archiep. Florent. 3. p. chron. tit. XIX. cap. §. IV. Sed quidquid tandem sit de miraculis ad confirmandam fidem cum Sancto August. l. XXII. de civit. cap. V. sic licet ratiocinari: Aut christiana religio divinis miraculis orbi probata est, aut nullis miraculis est confirmata. Si primum, ergo divina est, et digna quæ admittatur ab omnibus. Si secundum, multo etiam magis fide digna est; quod enim majus miraculum proferri potest, quam ut universus orbis, nimirum tot sapientes et litterati, tot divites et nobiles, tot potentes et principes sine ullis miraculis, ab hominibus rudibus et obscuris atque ignotis, et qui passim odio haberentur, sine ullo verborum ornatu, brevissimo tempore moverentur ad amplectendam eam doctrinam, quæ mentis captum excederet, et inaudita prædicaret, quæ carni et sensui adversantia præciperet, nihil vero propemodum in præsentia vita promitteret præter calamitates et persecutiones, omnia vero bona in futuro expectaret. Unde ibidem August. cap. VIII. ait: *Quisquis adhuc prodigia quærit ut credat, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit.* Itaque cum omni fiducia ad Dei tribunal accedere possumus, et dicere, ut Rich. Victor, sent. l. 1. de Trin.